



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

I. De electione summi pontificis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO CHRISTI  
1179. Anno ab incarnatione Domini \* M C L X X X . præsidente  
Romanæ ecclesiæ papa Alexandro III. anno pontifica-  
tus eius vigesimo , mense Martio , indictione duodeci-  
ma , die mensis secundo , præsidente eodem summo pon-  
tifice , sancta Synodus in basilica , quæ appellatur Con-  
stantiniana , \* 280. episcoporum celebrata est.  
\* 300.

## C A P I T V L A .

### I.

**L**ICET de uitanda discordia in electione summi pontificis manifesta satis a nostris prædecessoribus constituta manauerint ; tamen , quia sœpe post illa per improbæ ambitionis audaciam , grauem passa est ecclesia scissuram : nos etiam ad malum hoc uitandum , de consilio fratrum nostrorum , & sacri approbatione Concilii , aliquid decreuimus adiungendum. Statuimus igitur , vt si forte inimico homine superseminante zizaniam , inter cardinales de substituendo pontifice non potuerit concordia plena esse , & duabus partibus concordantibus tertia pars noluerit concordare , aut sibi aliud præsumperit \* ordinare : ille \* Romanus pontifex habeatur , qui a duabus partibus fuerit electus , & receptus. Si quis autem de tertiae partis nominatione confisus , quia \* rem non potest , sibi nomen episcopi usurpauerit : tam ipse , quam qui eum receperint , excommunicationi subiaceant , & totius sacri ordinis priuatione mulctentur , ita vt viatici eis etiam , nisi tantum in vltimis , communio denegetur : & nisi resipuerint , cum Dathan & Abiron , quos terra viuos absorbut , accipient portionem. Præterea si a paucioribus ali-

\* nominare vel ordinare.  
\* ille absque villa exceptio ne ab universa ecclesia Romana pon-  
tifice ha-  
beatur,  
\* de ra-  
tione esse non po-  
test.

quis, quam a duabus partibus fuerit electus ad apostolatus officium, nisi maior concordia intercesse. rit, nullatenus assumatur, & praedictæ pœnæ subiaceat, si humiliter noluerit abstinere. Ex hoc tamen nullum canonicis constitutionibus & aliis <sup>eccl</sup>\* ecclesiasticis, præiudicium generetur, in quibus majoris & senioris partis debet sententia præualere: quia quod in eis dubium venerit, superioris poterit iudicio diffiniri. In Romana vero ecclesia aliquid speciale constituitur, quia non potest recursus ad superiorem haberi.

## II.

Canone ultimo Concilii Lateranensis sub Innocen-  
tio II.

Quod a prædecessore nostro felicis memorie Innocentio factum est, innouantes, ordinationes ab Octauiano & Guidone hæresiarchis, necnon & Ioanne Strumeni, qui eos secutus est, factas, & ab ordinatis ab eis, irritas esse censemus: adiuvantes etiam, vt si qui dignitates ecclesiasticas, seu beneficia per prædictos schismaticos receperunt, careant impetratis. Alienationes quoque, seu invasiones, quæ per eosdem schismaticos, sive per laicos factæ sunt de rebus ecclesiasticis, omni careant firmitate, & ad ecclesiam sine omni eius onere revertantur. Si quis autem contraire præsumperit, excommunicationi se nouerit subiacere. Illos autem qui sponte iuramentum de tenendo schismate præstiterint, a sacris ordinibus & dignitatibus de-creuimus manere suspensos.

## III.

\* Cum in sacris ordinibus, & ministeriis ecclesiasticis, & ætatis maturitas, & morum grauitas, &

Com  
curia  
facie  
dilecta  
scien-